



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Originvm Monasticarvm Libri IV.**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

Cap. I. De scholis Benedictinorum antiquis, & nouis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11249**

ORIGINES  
 O R D I N V M  
 A C  
 C O N G R E G A T I O N V M  
 sub regula S. Benedicti mili-  
 tantium.

L I B E R II.

C A P. I.

*De scholis Benedictinorum antiquis,  
 & novis.*



VLTA sunt ad rectè consti-  
 tuendam Rempubicam à le-  
 gislatoribus viris prudenti-  
 bus excogitata atque sancita  
 præclarè: ac præcepta quidè  
 de puerorū ætate ad omnem  
 virtutis partem informanda  
 maiorem quàm cætera vim habent. Præclara  
 opinio gentium omnium firmata consensu,  
 ex ipsis naturæ ducta principijs, si salui esse  
 velimus, præcipuam & maximam curam iu-  
 ventuti esse impendendam. Quid enim est in  
 homi-



hominum vita vel ad fructum suauius, vel ad dignitatem honestius, vel vsu salutarius, quàm ciues optimos existere? Quid tristius, ac verò exitialis cōtingat, quàm si à Dei notione atque operibus alieni, omnia sceleribus ac libidinibus polluant feroces & rapidi? Quæ autem gens tanta humanitate culta, aut tam agrestis & barbarâ, quæ non fateatur, non intelligat, à primis annis reliquam vitam pendere, esseque cum primis rudimentis apta cōnexaque cætera, postrema cum medijs, cum inijs vtraque ferè consentire? Vt enim in semente posita spes messis est: ita totius reliquæ vitæ expectatio ab educatione pueritiæ pendet. Altas radices agunt serpuntque latè, vti in noualibus, quibus primis annis semina committuntur. Itaque mirari desinam omnia mala, graues calamitates quasi facto agmine per vrbes & opida incurrere eâ curâ neglectâ passim, quæ vel maximè commendata omnibus esse debuit publicè priuatimque. Filiorum infantiam delicijs & voluptate corrumpimus, corpus otio, animû libidine imminuimus. Ostro, purpurâ, & auro, gemmarum fulgore superbiam fastumque alimus: cupedijs irritatur palatum, nerui omnes corporis & animi eliduntur: domi audiunt videntque quæ pudet pigetque referre exempla turpitudinum, vitiorum imagines, & credimus ex ijs pueris aut strenuos milites, aut moderatos ciues euasuros? quos potius credi

F

par



par est senatores factos, magistratus adeptos, maiore vitiorum licentia miserabiles stragos quàm primùm edituros. Non facilè eluuntur colores, quibus natiuus lanarum candor mutatur: retinetque testa odorem, quo est primo tempore imbuta. Prudenterque Virgilius vt multa dixit:

*Vsq; adeò à teneris assuescere multum est.*

Rerum imagines à primis annis suscepta exempla, præceptaque quantopere hæreant, quantam vim siue ad corrumpendos mores, siue ad castigandos habeant, vix credi possunt. Quòd quidam præclara facinora per totam vitam suscipiunt, prauos animi motus coercere alijs libidini & ignauix mancipantur, ferè et prima institutione totum pendet. Canem tu mihi venaticum, dum est tener, instituas odore persequi feram, monstrare prædam rectè contracto, sublata ve manu: equum inutilem putes noxiumq; nisi à primo tempore domitus, tergo sessorem admittere, pedes mouere ad numerum, freno & calcaribus regi virgaq; fit edoctus. Mites arbores, dum sunt teneræ, adminiculis erigas, circumcidendo castigas, telluris vitio laborantibus mutes locum: ne ea cura neglecta siluescant, frustra que deinde omnis labor sit. Frangas enim citius quàm flectas, quæ semel induruerunt; & erit aliquis tam alienus à communi sensu, tam oblitus publicæ salutis, qui non putet omnem curam tenere puerorum ætati impendendam? for-  
mandos



mandos ad iustitiam, exemplis præceptisque ad innocentiam vitæ erudiendos, quo tēpore mollis ceræ ad instar ducentis manum sequuntur, in quemcunque velis habitum formamque mutare? durati figuram externam non recipient, neque vllis præceptis castigati mutabuntur.

Et verò quantum valeat institutio, duorum catulorum exemplo Lycurgus declarauit. Iisdem enim parentibus vno partu ortos, alterum venationi assuefecit, alterum offæ: deinde utroque in conuentum producto, cum proiectum cibum alter cōsectatus esset; neglexisset alter præ studio insequendi leporem obiectum: quantum consuetudo valeat à teneris suscepta, ciuibus monstrauit, eamque plerumque natura esse potentiores docuit.

Rectè itaque maiores nostri, viri sapientissimi, prudentes legiflatores, ad præcipuam suæ prouidentie partem pertinere iudicauerunt, quibus moribus prima ætas imbueretur: plurimumque operæ posuerunt in puerorum institutione commendanda. Sic Lycurgus Lacedæmone ex numero principum ei curæ virum præfecit prudentia probitateque præstantem, quem Pædonomum dixit sublatis seruis, quibus pueros instituendos credere antea ij ciues soliti erant, ne frequentium cum ijs vsu videlicet seruiles mores imbuerent, prouidebatur. Id secutus Aristoteles è pluribus magistratibus vnum ei



curæ, in qua salus publica vertitur, præficiendum cum ampla potestate iubendi vetandi que constituit. Melius Persæ (viti Xenophon scribit) diuisa multitudine in quatuor partes pueris instituendis viros principes præfecerunt, ex senioribus selectos, probitate excellentes, vt vberior proventus existeret, duodecim numero, quò partita inter multo cura, minor labor, maior diligentia esset. Quam industriam vellem ex parte nostris Principes ciuitatesque imitarentur, eximie ei curæ ex vtroque ordine sacro & populari præfectis cum potestate de præceptorum moribus, docendi que dexteritate (in qua grauissimè peccatur multis modis) iudicandi publicè. Quis enim? calceos vestesve non conficiat, nisi qui artis peritiam antè probarit: filios sine delectu cuiunque se obtudenti erudiendos tradamus? Medicum nemo morbo curando nisi peritum artis quamuis rogatus accersat: amicorum precibus cedamus filiorum magistro institutoreque aduocando: apage dedecus ignauia que grauis. neque enim tanti amici esse debent, vt propter eà grauissima pignora in periculum vocentur. Sed & iisdem ius sit, me quidem auctore, inquirendi in ciuium mores censorum ad instar, ac coercendi malo priuatim patres in filiorum institutione negligentes, pueros castigandi, includendi que etiam si opus sit rebelles, ingenio præfracto, præsertim qui defun-



Etis parentibus, aut domo profugi sine lare familiarium incertis sedibus vagantur pueri puellæque: unde scelerum licentia existit, animi deprauantur, multorum corpora libidinum tabe contaminantur. A maioribus nostris non alia causa litteras tradendi cura sacro ordini à primis temporibus demandata est, quam quod plurimi referre haberent persuasum, si pueri cum literis pietatem sensim instillatam auribus oculisque imbiberent, apud viros sacrosatos versantes. Quo factum puto, ut qui litteris dant operam, sacri ordinis veste & pileo à populo secreti sint, ut in publicis scholis fieri videmus, præsertim in Hispania. In Gallia etiam quicumque litteris & eruditione conspicui sunt, magnos clericos vulgus vocat. Eam curam Pontificibus haud satis pro dignitate tractantibus, ac verò negligentibus, viri præ cæteris pietatis studiis præstantes, quos monachos dicimus, & in studium impulsus iuuantem rempublicam sæpè arripuerunt, diuinum se Numen promereri eo labore procurationeque persuasi, in quo tantum momenti esse videbant. Antiqua Benedictinorum præsertim monasteria scholæ publicæ erant ad iuventutem erudiendam à viris sanctissimis constitutæ. Unde haud leuis publica utilitas extitit, ipsi magnis diuitijs atque ingentibus creuerunt, omnibus certatim pios eorum conatus iuuantibus re, opera, consilio. Ex ijs monasterijs velut ex arce sapientiæ innume-



ri viri prodierunt, vtriusque Philosophiæ cognitione præstantes, diuinæ atque humanæ, vti editi eo tempore ab eaque natione hominum libri multi & excellentes in suo quicquid genere mirandi argumento sunt. Sic fert Ioannes Mariana libro de Institutione Principis.

Maiorum suorum exemplo monachi Benedictini hodieque sacras litteras ac Philosophiam publicè profitentur *Hiraci* in regno Nauarræ, *Oueti* in Hispania, *Duaci* in Flandria, *Salisburgi* in Germania, & in alijs Christiani orbis Academjs.

Sic & Eremitæ Augustiniani, Dominicani. & Præmonstratenses in varijs Belgij oppidis, laudabili instituto, scholas litterarias iuuentuti aperiunt: atque vtinam in Germania, Gallia, & alijs regionibus idem præstent: vbi præsertim Societas Iesu Scholas non habet.

Scio esse, quibus ista non æquè probentur: sed & illud scio *Aphraatam* monachum, cum à Valente Imp. interrogatus esset, quid monachus ageret in publico, sapienter respondisse, se ad commune incendium extinguendum prodijisse; Arianis nimirum in Ecclesiam orthodoxam sæuientibus: vt Theod. in Philet. cap. 2. & 8. & Baronius anno 370. commemorant.